

5
PRAELECTIONES
PUBLICAS ET PRIVATAS
HIBERNIS MENSIBVS SVSCIENDAS

RECTOR
ACADEMIAE GISSENAE

ANDREAS BOEHM

LOG. MET. ET MATH. P. O.

TOTVSQVE
SENATVS ACADEMICVS

INDICIT

ET AD EAS DILIGENTER AVDIENDAS
CIVES ACADEMIAE
GENEROS. ET NOBILISS.


PERAMANTER INVITAT

D. V. SEPT. CIOIOCC LVI.

SVB SIGILLO ACADEMIAE MAIORI.

GISSAE,

TYPIS IOANNIS IACOBI BRAVN, ACAD. TYPOGR.



In Facultate Theologica.

**D. CHRISTOPH. MATTH.
PFAFFIUS,**

Cancellarius & Superintendens Generalis.

Fac. Theol. Antecessor & Director.

Historiam Ecclesiasticam & Collegium Theticum Examinatorium per futurum semestre continuabit atque Collegium Juris matrimonialis &, si sint, qui desideraverint, Collegium Juris ecclesiastici adjiciet.

D. REINH. HENR. ROLLIUS,

Ordinis sui Senior & Primarius.

Quam primum tractationem *de foedere gratiae ejusque oeconomia*, publicis lectionibus haecenus traditam, ad finem perduxerit, lectiones polemicas, bono cum Deo, hora IX. exordietur, in b. Fechtii *Syllogem controversiarum*, & separatis quibusdam horis *exercitium disputatorium in eandem* continuabit. *Privatim* hora II. in exponenda, ad ductum b. Baieri, *Theologia dogmatica* perget, utque dicta animo firmiter inhaereant, examinando ea repetet.

D. IO.

D. IO. HERMAN. BENNER,

Decanus.

Quo compendio nullum adhuc solidius lucem adspexit, & quod duodenis cursibus iam absoluit, id prima parte denuo expedita, per hibernos menses ad umbilicum perducat. Est autem ven. BAVMGARTEN *theologia moralis*. BAIERI filium secuturus, *dogmata*, diuina tradet: pro *indiciis*, *definitiones* substituet, vagam proscripturus *methodum*. Publice orationibus ac disputationibus sacris vacabit, quando *exegeticae lectiones* iam finitae, vix a plerisque reperentur.

IO. GODEFR. ZENTGRAV,

SS. Theol. Prof. publ. extraordin.

Praecepta homiletica traditurus illud potissimum aget, ut veram & geminam sacrae praxeos constitutionem Auditoribus suis sistat; nimirum perspicue recenserebit, quicquid ad Oratoriam sacram ac ad singulas sermonis partes bene formandas facere potest, & qualis ratio ineunda sit oratori ecclesiastico, quemlibet textum biblicum pro concione rite tractandi, ac ad auditorum salutem convertendi. In reliquis quoque sanctioris disciplinae partibus desiderio commilitonum satisfaciet.

In Facultate Iuridica.

D. FRANCISCVS IVSTVS KORTHOLT.

Publice, quamprimum praelectiones in *ius feudorum* erunt finitae, *ius publicum* ad ductum *Ill. Schmausii* interpretandum

dum refurnet. *Privatim Boehmeri introd. in ius digestorum*, cuius explicationi duas per singulos dies horas destinat, ad finem perducet. Addet praeterea rogatus, quoad per varia negotia licebit, collegium *iuris practicum*.

D. GOTTLLOB AVGVSTVS WNIENICHEN.

Decurso, quod breui interiecto tempore emetiatur, Institutionum Iustinianearum spatio, *methodum & historiam literariam uniuersi iuris* duce AUG. RUDOLPH. IESAIIA BUNEMANNO in *primis lineis historiae literariae* accurate & diligenter tradet, quo collegio nemo quisquam carere potest, qui scyllam & charybdim prudenter atque sapienter evitare cupit. Praeterea vel in IO. GOTTLIEB HEINECCII *Elementa iuris secundum ordinem Institutionum* ante paucos annos abs se quam emendatissime, castigatissimeque edita, vel in viri illustris ACHAT. LUDOV. CAR. SCHMIDII *institutiones iurisprudentiae ecclesiasticae* commentabitur. Nec vlla in re deerit honoratissimorum sibi que multo carissimorum commilitonum voluntati, quantum patietur valetudinis continuis improbisque laboribus mirifice immunitae atque debilitatae ratio.

D. IO. ERNEST. HOEPPFNER,

Publice ius criminale, *privatim* ius canonicum & institutiones iuris ciuilibis tradet, simulque Collegium relatorio practicum aperiet.

D. CHRI-

D. CHRISTOPH. LVDOVIC.
KOCH.

Si Deus O. M. vires concesserit, *Institutiones Imperiales priuatum* praeleget.

In Facultate Medica.

D. GERARDVS ANDREAS
MÜLLER.

Materiam Medicam, egregio BÜCHNERO duce, porro explicare perget, collegium etiam practicum ad optatum finem perducturus est. Chemiam, pharmaceuticam potissimum, illustrare cupit, modo numerus non desit auditorum; denique carissimorum commilitonum votis obtemperaturus, vel Medicinam legalem exponet, vel Physiologiae generalis iterum primas traderet lineas.

D. IO. CAROL. VOIGT,

h. a. Decanus.

In lectionibus chirurgicis sedulo perget. Collegium physiologicum aperiet, praemissoque publico collegio osteologico, fabricae corporis humani lumen desiderantibus, omnem nauabit operam. In theatro anatomico data occasione coeloque fauente, neque dissectionibus neque demonstrationibus anatomicis discipulorum coetui deerit. Praeterea medicinam legalem seu forensam, si adest auditorum numerus, explanabit; & priuatissime quoque discipulis omnem spondet operam.

In Facultate Philosophica.

IO. LVDOVICVS ALEFELD,

Phil. Prof. primarius & alumnor. Princip. Ephorus.

Praelectiones publicas in *Philosophiam naturalem* sedulo continuabit easque iusto tempore absoluet: *Historiam philosophicam*, quam, per aetatem breuiorem, totam enarrare non licuit, inde ab instauratione scientiarum in Europa ad nostram usque aetatem deducet: nec *disputationum privatarum* de selectis argumentis philosophicis, quibus alumnos publicos ab octo iam annis iugiter exercuit, inducias concedet.

ERNESTVS THOM,

Prof. moral. atque iuris nat. & gent.

Partes philosophiae, quae ipsi tractandae sunt, ius naturae & gentium, ethicam & politicam publice exponet; oeconomica, si desiderantur, etiam tradet.

ANDREAS BOEHM,

Log. Metaph. & Mathef. P. P. O.

Logicam h. IV. pomeridiana, *Metaphysicam* h. V. denuo auspiciabitur. Reliquas lectiones tum *Metaphysicas*, quae elapso semestri absolui non potuerunt, tum *Mathematicas*, quas nuper demum inchoavit, fideliter continuabit. Collegia *examinatoria & disputatoria* desideraturis non deerit.

D. CHRISTOPH. LVDOVIC.

KOCH.

Hist. P. P. O. & Bibl. Acad. Praef. Fac. Phil. h. a. Decanus.

Publicis lectionibus *res Imp. Rom. Germ.* exponet, si pristinae sanitati interea fuerit restitutus.

PHIL.

PHIL. NIC. WOLF,

Prof. LL. OO.

Publice Leuiticum & Numeros expositurus, *privatim* in linguis Ebraea, Chaldaica, Syra atque Graeca perdiscendis suam offert operam, doctrinam accentuatoriam, duce WEIMARO, adiuncturus.

IOH. GODEFR. ZENTGRAV,

Eloquent. & Poëseos Prof. Publ. ordin.

Fundamenta stili cultioris, praeunte HEINECCIO, de-
nuo adornabit, atque, more sibi adhuc consueto, quomodo ad ipsas varii generis scriptionum exercitationes progrediendum ac in iis versandum sit, fideliter demonstrabit; nec illis, qui Expositionis *Virgilianae* continuationem expectaverint, suam denegaturus est operam. Ad eloquentiae ligatae cultores adiuuandos *Artem Poëticam* secundum praecepta & doctrinam *Horatii*, quam nuper absoluit, rursus edocet.

Praeterea generosis ac nobilissimis academiae civibus praesto sunt magistri peritissimi, publice constituti, qui *artem equitandi, gladio pugnandi & saltandi*, itemque *linguam Gallicam atque Italicam* tradunt.

